

Nr. 2 fehlt!
11. Dez. 1954 L.

25.
22

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA DE PRVDENTI MEDICAMENTORVM MVTATIONE

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMO PRUSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLTATIS PHILOSPH. H. T. DECANO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XXIX. JANVAR. A. S. R. CICCI

IN REGIA FRIDERICIANA

PVELICE DEFENDET

TRAVGOTT DREYSIG HALENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSESTITIO INAGARIS MEDICI
PRÆDENTI
MEDICAMENTORVM
MUTATIONE
PRÆSIDI
CONFERENS GRATIOSAE MORTALITATIS MEDICEE
DOMINO
D. ANDREA ETIÆ BÜCHNERO
PRO GRADA DECTORIS
SUMMISSA IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIS TESTIMONIIS IMPERIALE
IN REGIA FIDE RICOTIANA
TRAEGOTT DRESEIG
HABENS

THIS IOANNIS CHRISTIANI HENDRIKII ACAD. TYPICR

VIRO
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO
DOMINO
IOANNI IVNCKERO
MEDICINAE DOCTORI
EIVSDEMQUE
IN ALMA FRIDERICIANA PROFESSORI
PUBLICO ORDINARIO LONGE CELEBERRIMO,
PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI HALENSIS
MEDICO ORDINARIO MERITISSIMO,


DOMINO PATRONO
AC PRAECEPTORI SVO
OMNI PIETATIS ET OBSEQVII CVLTV
AETERNVM DEVENERANDO,

A I R O
S P E C I M E N H O C I N A V G V R A L E
C U M V O T O O M N I G E N A E P R O S P E R I T A S
I N D E B I T A E V E N E R A T I O N I S E T O B S E R V A N T I A E T E S S E R A M
E A , Q V A D E C E T , R E V E R E N T I A

I O A N N I I J A N C R E R O

M E D I C I N A E D O C T O R I
I N A L M A F R I D E R I C I V N A P R O T E S T O R I
P A B L I C O O R D I N A R I O L O N G E C E R R E R I M O
P A E D A G O G I I R E G I I R T O R I N O R P H I I H A L T E N S I S
M E D I C O O R D I N A R I O M E R I T I S M O

D O M I N O P A T R O N O
D A T , D I C A T , C O N S E C R A T ,
A C P R A E C P T O R I S A O
T R A V G O T T D R E Y S I G .



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,
DE
PRVDENTI MEDICAMENTO-
RVM MVTATIONE.

PROOEMIVM.



Sicut in statu politico omnes mutationes dubiae sunt, & saepe periculosae; ita idem pariter in medicina non raro de crebriori medicamentorum mutatione valere arbitror, quae, teste GALENO, sanitatem quam maxime impedit. Si quid enim ordinarium morborum decursum turbare, ipsamque morbi indolem corrumpere, & una cum sympto-

A 3 mati-

ab 1138

matibus in peiorum statum potest convertere, est profecto crebrior remediorum variatio. Longe autem maiores certioresque exinde pertimescendae sunt noxae, si medicamenta sibi ipsis contraria, & quorum plane diversa solet esse operatio, subjectis in primis debilibus, & exquisitae sensationis, exhibentur. Horum enim corpora, quum a levissimis causis facillime laedantur, vel adversam qualemcunque percipiunt sensationem; sane non mirum est, quod a variis quoque remediis insignem & plerumque nocivam reportent mutationem. Repte itaque, ast proh! dolor ut plurimum nimis sero, eiusmodi aegrotantes cum Imperatore illo exclamare debent, quod multitudo medicamentorum eos perdidit. Neque solum aegrotis maxime adversa est magna medicamentorum farrago atque varietas, sed ipsis etiam Medicis mirum in modum obesse solet, siquidem hi nulla re magis suam in medendo ignorantiam, & in consiliis capiendis expeditiusve inconstantiam, patefaciunt, quam si titubanter modo hoc, modo aliud remedii

genus

idem

et A

genus in auxilium proferunt, eodemque non statim optatum exserente effectum, mox aliam medicamenti formulam praescribunt, vel, relicta morbi causa, symptomatibus tantum medentes, singulis fere horis novum remedium proponunt. Nolo iam, qua ratione aegrotis pariter atque medentibus varia medicamentorum mutatione noceat, specialius ostendere, sed utilissimum hoc thema in levi hac, quam aequo B. L. iudicio submitto, opella, fusius pertractare mecum constitui. Etenim quum apta ad disputandum materia mihi eligenda esset, inter varias, quae sese offerebant, hanc in primis disquisitione aliqua dignam censui, quae de *prudenti*, eaque tam salutari, quam noxia *medicamentorum mutatione* agit. Ut vero in limine statim, quid de meisibi promittere possit Lector, innotescat, equidem primo ex hoc fundamento nimiam remediorum multitudinem atque variatem improbavi, quia, sicut paulo fusius ostendi, non multiplices, sed simplices minusque copiosae morborum dantur causae, quae tam magnam remediorum copiam tam-

tamque multiplicem variationem haud exposcunt; deinde, quia varias curationi iniicit remoras, multaque aegrotantibus affert damna, breviter idecirco strictimque a me enarrata; & demum, quia sufficientem medicamentorum continuationem, quam remedia nonnulla, ad effectum suum ex voto praestandum, necessario postulant, vel penitus, vel multum tamen interrumpit. At vero, sicut nulla regula tam firma est, quae non subinde aliquam patiatur exceptionem; ita idem quoque de medicamentorum mutatione dicendum est. Plures enim dantur casus, ubi haec ipsa non utilis minus, quam necessaria est. Quam ob rem insimul praecipuos illorum eo fine indicavi, ut paulo clarius quisque perspiciat, quo tempore, & quanam sub conditione medicamenta cum aliis commutare, pristinisque nova substituere iuvet vel noceat. Prius vero, quam ad ipsam descendere tractationem, B. L. humaniter oro rogoque, ut qualescumque hosce conatus benevolē excipiat, & omnia aequi bonique consulat.

§. I.



§. I. nullus mei membrorum ob-
scurus est. Alii sunt tenui, aliis
flaccidi, aliis turgescendi, & aliis
decomponendi. Tunc nunc illas
mutantur. Quid sub medicamentorum mutatione in-
telligendum sit, cuivis, prout spero,
per se iam patebit. Hoc tamen non
possum, quin moneam, quod illa ipsa
eo in primis respectu reprehendenda
& tanquam noxia declaranda sit, si
medicamenta alia atque alia, & maxi-
me quidem genere inter se diversa, aliis crebro sub-
stituuntur, & e. g. diaphoretica cum diureticis vel
laxantibus, & sic porro, sine necessitate saepe com-
mutantur.

§. II.
Primo autem omnium crebrior medicamento-
rum mutatio est contra veram & genuinam meden-
di methodum, seu contra medendi regulas, ratione
& experientia fancitas. Id quod ut paulo clarius
illuc escat, paucis iam lubet hoc argumentum accu-
ratius exponere. Omnes, quotquot sunt, Medici,
B tam



tam veteres, quam recentiores, in eo consentiunt, praecipuam medentis curam eo esse dirigendam, ut causas, a quibus originem morbus traxit, apta ratione tollat. Hae ipsae vero quum non multiplices, sed simplices esse soleant, minime etiam tam multa tamque varia, ut removeantur, desiderant remedia. Quod vero, ratione modi agendi, simplices tantum, & numero paucae sint morborum causae, non modo dudum iam Illustris b. m. H O F F M A N N V S in *Med. system.* Tom. III. Sect. II. Cap. IV. fusius demonstravit, sed ex sequentibus quoque facile potest colligi. In omni & cuiuscunque generis morbo vitium vel in solidis, vel in fluidis nostri corporis partibus deprehenditur; h.e. vel in motu, vel in materia, quae movetur, unice continetur. Si in solidis latet, haec in universo corpore, aut in certa tantum parte, iusto maiorem, vel debito minorem habent tensionem. Ergo in priori casu tonus solidorum imminutus per sola roborantia erit augendus; in altero vero per antispasmodica, anodyna & sedativa minuendus atque relaxandus.

§. III.

Ast, obiicit fortasse quispiam, varia prostare roborantia, quorum alia viribus restaurandis, digestioni vacillanti promovendae, & visceribus debilitatis firmandis, alia vero partibus & fibris erosis & qualitercunque laesis constringendis & consolidandis, instar traumaticorum, solent esse dicata; ideoque pro diversa morbi & subiectorum indole provide admodum a Medico artis perito seligenda, sicut

e. g.

e.g. cort. Chinae & Cascarillae speciatim in febribus intermittentibus fistendis, myrrha in pulmonum flacciditate, rhabarbarum in alvi fluxibus cohibendis & atonia hepatis emendanda, mentha in stomachi vitiis, & sic porro, prae ceteris eximiam locant operam. Evidem haec vera esse, fateor; nihil tamen minus singula iam allata momenta amplius nihil probant, quam quod prudens remediorum roborantium selectus sit habendus, isque secundum vires eorundem semel cognitas, & prout morborum diversitas postulat, probe instituendus. Quia quis autem ratione exinde ad stabiliendam remediorum varietatem crebrioremque vicissitudinem concludere velit, evidem non video; licet hanc eo faltim respectu libenter largiar, si forsitan roboranti minus idoneo aliud melius, magisque appropriatum, debet substitui.

§. IV.

Circa medicamenta, quae nimiis solidorum motibus sedandis, & spastico-dolorificis partium strictruris solvendis destinata sunt, idem moveri potest dubium. Etenim quamvis singula ad unum eundemque collineant scopum, negari tamen non potest, quod differenti gradu suam perficiant operationem, ideoque modo *antispasmodica* & *anodyna*, modo *narcotica* appellantur, & pro circumstantiarum ratione adhibeantur. Sic enim Castoreum, cum medicamentis exinde praeparatis, ut plurimum in passione hysterica specificam exerit virtutem; oleum amygdalarum dulcium & infusum florum

Chamomillae vulgaris feroceis intestinorum cruciatuſ, itemque dolores a calculo oriundos, vel a partu exantlato ſuperftites, egregie mitigat; ex correctis opiatis, theriacalia, itemque laudanum liquidum SYDENHAMMI, in cardialgia, colica, nimiis que vomitibus & alvinis deiectionibus mitigandis, conducent; maſſa pilularum de ſtyraxe in tuſſi ferina ſpafifica compreſcenda egregie ſe gerit; maſſa pilularum de Cynogloſſa in haemorrhagiis variisque doloribus ſiſtendis operaे facit pretium, & quae ſunt huius generis plura. Sed idem repondeo, quod iam antea reſponſo dedi. Scilicet exinde ſimiliter nulla potest ratione crebra remediorum variatio, ſed id tantum probari, quod leniora aut fortiora ſedativa debito tempore & loco ſint praefcribenda.

§. V.

Transitus nunc fiat ad fluidorum vitia, aptis medicamentis corrigenda, ubi, ſingulis rite ponde-
ratis, rem eodem ſe modo habere deprehendimus. Etenim fluida nostri corporis vel quantitate, vel qualitate ſolent peccare: quod ad primum attinet, quantitas aut excedit, aut deficit, ideoque mox per commoda, maximeque nutrientia remedia erit restituenda, mox autem per varias evacuationum species diminuenda. Quum vero non unius, ſed variii generis dentur fluida, ipſaque loca differant, in quibus abundant & naturae oneri ſunt; hinc etiam variii existunt modi, illa ipsa e corporis ſphaera eliminandi. Purpureus enim latex ſi vel in toto corpo-

corpore, vel in certa quadam regione abundat, optime eiusdem per venaefectionem fit detraction, cui in nonnullis, sanguinem potius serosum alentibus, corporisque spongioso habitu praeditis, & natura debilibus, scarificatio substituitur; vel, ad sanguinem stagnantem e parte affecta propius evocandum, hirudines, tam pone aures, in melancholia, vertigine, cephalalgia, angina, &c. quam ad anum, in promovendo haemorrhoidum fluxu, applicantur. Neque tamen singulae hae sanguinem evacuandi species singulis convenient, sed, pro re nata, modo hae, modo aliae in diversis subiectis & morbis sunt administrandae, manifesto indicio, quod haec etiam remedia tam crebram mutationem non requirant, sed unum tantum alterumve ad medendi scopum rite obtinendum sufficiat, si prius omnes, sicuti par est, circumstantiae bene fuerint indagatae.

§. VI.

Reliqui humores pro diversa indole sua diversimode evacuantur. Quis enim est, qui nesciat, peregrinos succos, in ventriculo & intestinorum canali collectos, modo per vomitum, modo per alvum educi, humores seroso-salinos crassiores per urinarias vias, tenuiores contra salino-sulphureos per tubulosam porosamque cutis substantiam evenhi, succos tenaces, pulmonibus impactos, per auctiorem expectorationem eiici, & lympham denique spissam ac venereo miasmate inquinatam per excitatum salivae fluxum eliminari? Haec vero quamvis ita se habeant, & primo intuitu videri

B 3 possit,

posset, multiplices has evacuationes variam innuerere remediorum evacuantium mutationem, nihilo tamen minus longe aliter sentiendum est. Minime enim ideo sequitur, singulas hasce evacuationes in aegrotis singulis & una quasi serie esse adhibendas, sed tum denum, illisque saltet subiectis applicandas, quibus pro morbi, quo laborant, indeole convenient. Iam quidem non negandum est, medicastros, hoc minime pensi habentes, teste experientia, longe aliam inire viam; siquidem sanguinis redundantiam modo per venaelectionem, modo per curcurbitulas, praegressa scarificatione appositas, minuant; iam purgant, iam vomitum provocant; mox sudorem, mox vero urinam pellunt, & ad quascunque demum alias evacuandi rationes, alis non iuvantibus, sine prudenti intentione audacter descendunt. Verum enim vero, hi nunquam secundum regulas rationis procedunt, nullumque curationis bene instituendae praebent exemplum, sed satius omnino est, illos medicinae magistros imitari, qui non coeco quodam autu, nulloque discrimine adhibito, sed destinato potius consilio humores superfluos & qualitercunque corruptos ex iis educunt viis, ex quibus commode proscribi & evacuari possunt. Ad hoc autem perficiendum non multis & variis crebriusque mutatis, sed paucis tantum, selectis, & cuivis morbi causae rite oppositis utuntur evacuationibus.

§. VII.

Proximum nunc est, ut de convenienti fluidorum

rum nostri corporis per alterantia remedia corre-
ctione scitu quaedam necessaria proferam. Haec
ipsa, si verum fateri licet, varia omnino, & secun-
dum diversas impuritates, tam sanguini, quam reli-
quis humoribus admixtas, diversimode instituenda
est. Etenim succi nostri corporis, in iusto celeriori
intestino constituti motu, temperantia requirunt me-
dicamenta; crassi, viscidi & ad motum subeundum
inepti, attenuantia, & ad spissitudinem dissolven-
dam idonea, postulant, sicut ii e contrario, qui aci-
dam contraxerunt diathesin, absorbentibus emen-
dantur, & ii denique, qui rodente imbuti sunt acri-
monia, demulcentibus corriguntur quam optime.
Quum vero in uno eodemque subiecto non omnes
iam enarratae fluidorum depravationes concurrant,
per se liquet, eam tantum, quae in culpa est, per
paucia atque selecta remedia emendandam esse. Si
quis enim, cuius primae viae multis acidis obsessae
sunt humoribus, absorbentibus opus habet, tunc
unum alterumve horum idem efficit, quod reliqua
praestant omnia, ut ideo in uno morbo absorbentia
complura praescribere, praescripta saepe iterum-
que mutare, plane supervacaneum sit.

§. VIII.

Sic igitur luce meridiana clarius apparere ar-
bitror, ad felicem morborum curationem varia
quidem, eaque idonea, & causis tollendis apta nata
requiri medicamenta, neutquam vero crebriorem
corundem mutationem esse necessariam, hancque
potius supinam Medici, in perspiciendis & abigen-
dis

dis morborum causis, arguere ignorantiam. Nam
propius lubet ostendere, quod etiam graves & sae-
penumero periculose inde accersantur noxae.
Hoc vero primo accedit, si ea medicamenta, quae
morbo eiusque causae subtrahendae vel minus ac-
commodata, vel plane adversa sunt, aliis saepe me-
lioribus, mutata praescriptione, subiunguntur. Ma-
gnum vero exinde in aegrotantes redundare da-
mmum, vel ex eo clarum est, quia singula medica-
menta certas habent agendi, nostrumque corpus
pro diversa eius dispositione alterandi, vires, quae
ideo, nisi morbo exacte fuerint oppositae, semper
contrarium producentes effectum, insigniter no-
cent, morbum praesentem vel augendo, vel novum
generando, novamque symptomatum syndromen
adornando. Neque nos, experientiam hac de re
consilentes, deficiunt exempla, id ipsum satis vali-
de comprobantia. Sic enim e. g. non adeo rarum,
sed in artis exercitio frequenter proh! dolor obvi-
um est, in scorbuto iam radicato, ad emendandam
sanguinis & humorum dyscrasiam, alia super alia,
eaque modo calefacientia, modo temperantia, ordi-
nari remedia, hisque, propter morbi pertinaciam,
nihil proficiensibus, more perperam consueto ad
mercurialis saepissime audacter devolvi. Haec ve-
ro, quum concursu salium scorbuticorum plane ad-
versam & quasi venenatam adsumant indolem, in
aprico esse positum iudico, hanc medicamentorum
alterantium mutationem omnino cum periculo gra-
vique damno esse coniunctam, quod etiam plerum-
que

que malo ita evenit omine. Idem fieri deprehendimus in pertinaciōi alvi obstrūctione, quae, sicut subinde in colica & gravissima eius specie, passione iliaca, observatur, non raro a spastica fibrarum intestinalium criptatura oritur & sustentatur. In hac igitur si modo haec, modo alia offeruntur laxantia, iisque voto non respondentibus, purgantia acriora exhibentur, pessime ordinarie agitur, quoniam hoc in casu fibrae intestinorum, spasmo constrictae, relaxandae potius sunt, quam irritandae.

§. IX.

Neque minor pertimescenda est noxa, si forte a Medicis ea medicamenta crebro porrigitur, quorum alterum prioris effectum turbat, vel prorsus aufert, quale quid usū venire solet, si mox diuretica, mox sudorifera, mox calida, mox refrigerantia, mox stimulantia, mox rursus anodyna & sedativa praescribuntur remedia. Atque hanc perversam medendi methodum tum temporis potissimum Medici nonnulli adhibent, quando aegrotantes contra singulas, quas experiuntur, mutationes, speciale defiderant medicamentum. Quodsi enim non causas, sed symptomata curare consueverunt, ad praescribendum proni admodumque faciles sunt, & auditofaltem morbosae afflictionis titulo statim novum, idque priori saepe prorsus contrarium, praescribunt remedium, cum tamen pleraque eiusmodi symptomata, nisi valde urgeant, speciali medela raro opus habeant, sed, vera morbi causa sublata, absque ulteriori medela evanescant. Exemplo esse

C

posunt

possunt iuvenes, malo hypochondriaco laborantes, itemque hystericae foeminae, dum hi morbi ita communiter sunt comparati, ut in dies, imo fere in horas novum adsumentes schema, variam ludant tragediam. Mox enim caput dolet & vertigine tentatur, mox pectoris adeat angustia cordisque palpitatio, mox abdomen spasimis & flatibus affectum magnas creat molestias, appetitus mox excedit, mox deficit, excretiones per alvum & urinam mox largiores sunt, mox iusto parciores, corpus mox friget, mox calet, & huius generis similia, quae si describenda essent, magnus morborum catalogus inde exsigeret. Si quis igitur singulis hisce aegritudinibus speciale destinare vellet auxilium, aliquoties profecto in uno die medicamenta deberet mutare, pristinisque alia substituere. Quo autem successu id fiat, loquuntur observationes medicae passim. Etenim plerumque in deterius ruunt symptomata, & vel crebrius recurrunt, vel postea tamen longe maiori invadunt impetu.

§. X.

Tum quoque crebrior medicamentorum mutatione hoc habet incommodi, quod Medicus naturam eiusque motus minus rite possit advertere. Praecipuum enim medendi momentum in eo situm est, ut Medicus varias morborum periodos, accessiones, status atque declinationes recte possit observare, & remediorum usum secundum has circumstantias provide, & quantum fieri potest, accurate disponere, vel, ut paulo pressius loquar, Medicus

dicus officio suo satisfacturis motus naturae excēdentes debet mitigare, deficientes excitare, & naturae in excretionibus promovendis vel nimis languidae, vel nimis imperuosae, apta ratione succurrere. Quō autem modo hoc ipsum perficere valeat, si alia atque alia subinde exhibet remedia, equidem non video. Multo magis pro certo & explorato habendum est, salutarem naturae ordinem perversa hac methodo plane turbari, saepeque mortem inde accelerari, quae fortasse diutius potuisse avertī. In cuius rei fidem vel unice ad curationem febrium acutarum, maximeque malignarum, provocare licet. In his enim, diebus maxime criticis, vel per narium haemorrhagiam, vel per alvi fluxum, largioreisque sudorem, vel per crassius & copiosius urinae sedimentum, provida natura salutarem molitur crisi, ideoque in opere hoc feliciter absolvendo saepe debet a Medico prudenter iuvari; hoc autem fieri nequit, si medicamenta crebro variantur, quorum nonnulla excretiones minuendas adaugent, nonnulla vero angendas perperam minuant, & sic porro.

§. XI.

Praeter haec quoque crebra medicamentorum mutatio vel ex hoc fundamento reprobanda est, quia nonnulla eius sunt indolis, ut effectum desideratum plane non exerant, nisi per certum aliquod tempus, non interrupta serie, continuerint. Quid enim decoctis lignorum & radicum accommodatarum in scorbuto, scabie, lue venerea, aliis

que passionibus chronicis, a lenta, viscida & acri humorum dyscrasia oriundis, vel in febrium acutiarum sanatione ptisanis, unquam salutare praestamus, nisi per iustam temporis moram adhibeantur? Idem hoc similiter de aquarum mineralium usu adserendum est, utpote qui ad aliquot plerumque septimanas extendi debet, si quis salutarem inde effectum obtinere sperat. Mercurialia porro leniora, quae sub forma aethiopis mineralis, ipsiusque mercurii dulcis, ad spissam viscidamque lympham, in glandulis hinc inde stagnantem, dissolvendam offeruntur, aequo non aliter, ac sub usu diutius protracto, suam perficiunt operationem, idque eo magis est necessarium, si corpus, miasmate venereo inquinatum, per ipsam salivationem ab impuritatibus suis est liberandum. Haec enim si cum fructu debet institui, non modo corpus antea per laxantia, decocta sanguinem depurantia, & saepe etiam per balnea aquae dulcis, ad heroicam hancce curationem feliciter perferendam solet praeparari; sed ipse quoque mercurius dulcificatus ita debet exhiberi, ut a paucioribus eius granis ad dosin paulo maiorem sensim paulatimque adscendamus, donec, elapsis inter haec aliquot diebus, sufficiens salivae fluxus succedat; imo hic etiam deinceps, sub temperato regimine, per aliquam temporis moram placide adiuvandus, eoque tandem finito, exacta diaerae ratio habenda est, nisi aegrotantes in grave detrudere velimus periculum. Idem profecto dicendum est de remediis martialibus, si
sup 30 in

in cachexia, fluore mulierum albo, promovendo mensium fluxu, &c. in usum vocantur. Haec enim sive in substantia, sive, quod tutius est, in forma liquida offerantur, semper tamen, interpositis decoctis diluentibus, coniunctoque sufficienti corporis motu, per iustum temporis spatium sunt continuanda, si laudabile quid debent praestare. Sed nolo iam exempla cumulare exemplis, cum plura quisque possit deprehendere in Illustr. b.m.
HOFFMANNI Dissertatione, *de prudenti medicamentorum continuatione*, ad quam ideo B. L. remitto.

§. XII.

Porro, qui varia crebriusque nova praescribunt medicamenta, revera multa praescribunt & superflua, quae tamen, communis saniorum Medicorum suffragio, plus plerumque nocent, quam profundunt. Etenim medicamenta stricte considerata, exceptis alimentis quibusdam medicamentosis, aut nullam, aut tamen non proximam cum corpore nostro eiusque succis alunt convenientiam; unde, in maiori data copia, non possunt non naturae potius oneri esse, quam dextre eandem iuvare. Videre hoc licet in stolidis medicamentorum heluonibus, ceteroquin sanis nullaque medicina indigenibus, qui aliquoties de die medicamenta avidissime devorantes & deglutientes, in graves sensim morbos incident; videre licet in aegrotis, ventriculum suum nimiis pulverulentis, aliisque quisquiliis ita tandem debilitantibus, aut vasa meseraica infarcientibus,

C 3 tibus,

tibus, ut pereunte ciborum digestione, transiuste chyli ad sanguinem impedito, plane marcescant; imo videre demum licet in reliquis omnibus pharmacomania laborantibus, quibus recte vetat tritum illud proverbium: *Sie sollen ihren Leib zu keiner Apotheke machen.* Utinam igitur omnes Medici, salutis humanae cupidi, altius peccatori infixum gerent divinum hoc effatum: *Nihil in medicina, quod necessarium, desideretur, nihil, quod superfluum est, proferatur.* *Superflua enim cum taedio & siepe cum danno adsumuntur, necessaria non sine periculo subtrahuntur.*

§. XIII.

Nemini autem fere magis multiplex remedium variatio gravi solet esse detimento, quam subiectis vel natura, vel propter morbum iam per pessum imbecillibus, magna generis nervosi sensibilitate praeditis. Cuius rei ratio praeter eam, quae iam in Prooemio allegata est, haec esse videatur. Medicamenta vel in solida corporis nostri agunt, vel in fluida; illa partim roborando, partim relaxando; haec autem vel corrigendo, vel evacuando, ipsorumque motum tam accelerando, quam retardando (§. II.). Qualem vero cunque producent effectum, semper tamen aliquam in corpore excitant mutationem, quae subiecta in primis debilia & sensibilia gravius afficit, longeque magis adhuc afficere debet, si a medicamentis crebro mutationes crebriores tales percipiunt mutationes; siquidem, teste in primis Celsio, debilitas omnibus facile

cile morbis pater. Atque hac in re consentientem habemus experientiam, optimam rerum magistram, qua satis superque edocemur, hypochondriacos, haemoptyicos, phthisicos, hecticos, cachecticos, hydropicos, arthriticos, podagricos, &c. quorum singuli debilibus & sensibilibus iure sunt annumerandi, nulla re magis laedi & in mortis praecipitari periculum, quam si uno altero Medico relictio, novum consulunt, hacque occasione admodum varia, & saepe prorsus contraria, magno sui damno, successive adsumunt medicamenta.

§. XIV.

Exinde etiam insimul facile, quod obiter hic & quasi per transennam monere liceat, colligi potest, quid de *crebriori Medicorum mutatione* iudicandum sit. Haec enim similiter non solum obnoxiam remediorum multitudinem & varietatem, quae presso, ut aiunt, pede eandem sequitur, serio vitanda, sed hoc quoque respectu caute suscipienda est, quia non omnes statim Medici naturam aegrotantium robustam aut imbecillem primo quasi intuitu possunt distinguere, & quaenam speciatim remedia, an fortiora, an mitiora, ipsis convenienter intelligere; deinde vero, quia non de singulis momentis, ex vita anteacta petendis, certiores facti, veram morbi originem saepe ignorant; vel ideo quoque tam commode consilia suppeditare nequeunt, quia, tanquam antea absentes, varios morborum insultus, periodos, status, atque declinationes

tam

tam exakte non observarunt, adeoque nec indolem morbi, ipsiusque causae, sufficienter callent.

§. XV.

Sed ut eo redeamus, ex quo digressi sumus, paucis adhuc monere lubet, crebram medicamentorum mutationem vel hoc etiam respectu damnandam esse, quatenus aegrotantibus saepe tantum excitat taedium, ut in posterum omnia fere medicamenta, quae libenter antea adsumiserant, nauseabundi aversentur, sicque priventur mediis, quibus amissa sanitas deberet restitui. Is interim, qui de eo forsitan dubitat, paululum modo in communia vita circumspiciat, & homines quam plurimos reperiet, qui causam, cur ab omnibus prope pharmacis abhorreant, in nimiam eorundem multitudinem & varietatem, qua olim in puerili vel alia aetate a Medicis obruti fuerunt, reiiciunt.

§. XVI.

Porro quoque frequens remediorum variatio ipsis insimul Medicis, si non statim inter initia, attamen in progressu curationis, magnas saepe affert molestias. Quicunque enim vel sua sponte, vel precibus aegrotantium commoti, eandem suscipiunt, eo tandem deveniunt, ut, quid amplius suadere debeant, prope nesciant; quod maxime quidem in morbis chronicis, longamque curationem possentibus, solet contingere. Sed ponamus, quod nova nihilominus remedia iterum iterumque in medium proferre sciant, haec ipsa tamen vel morbo direkte opponunt, vel non. In priori igitur casu

casu contra bonam & securam peccant methodum, quae pauca tantum atque selecta desiderat remedia (§. II. & III.); in altero autem sapienti naturae ductui renitentes, morbum facile pessundant, & saepe prorsus incurabilem reddunt.

§. XVII.

Sic igitur crebram medicamentorum mutationem graves inferre noxas, variasque curationibus iniicere remoras, satis ostendi. Verum enim vero, licet haec ita sint, nihilominus tamen altera ex parte non parum saepissime interest, ut medicamenta subinde apta ratione mutentur. Id quod, ut paulo accuratius determinetur, placet iam prae-cipios allegare casus, *quando prudens remediorum mutatio utilis pariter ac necessaria sit.* Primo au-tem omnium haec ipsa quam maxime commen-danda est, si forte insueta, & a Medico non expe-ctata medicamenti operatio effectum morbo plane adversum producit. Accidit hoc nonnunquam Medicis vel experientissimis, si morbo valde im-plicato seducti, vel ab aegrotante, historiam mor-bi non ingenue satis profidente, decepti, veram mali causam non perspicuum, adeoque nec reme-dia, tollendae ipsi idonea, proponere sciunt. Mu-lto vero magis & perpetim fere a medicamentis suis contrarium obseruant effectum medicastri, re-rum suarum parum certi, qui de causis morbo-rum minus solliciti, sine destinato confilio varia offerunt medicamina, alteroque non opitulante,

D mox

mox ad alterum dubii & ancipes configunt. Quodsi autem a dato quodam remedio contrarius, medentisque intentioni minus respondens sequitur effectus, iniquum profecto, imo plane temerarium esset, si Medicus, hoc nihil obstante, continuandum esse eius usum pertinaciter adsereret, quin potius tunc consultius longeque prudentius ageret, si noxiā hanc medicinam cum salubriori prudenter commutaret.

§. XVIII.

Deinceps quoque remediorum licita est mutatione, ubi medicamentum, per se quidem bonum, salutare & morbo vincendo accommodatum, eiusmodi continet ingredientia, quae odore saporeye suo aegrotantis naturae sunt adversa. Sic enim plures occurrunt aegroti, qui odorem vel saporem Cinnamomi atque Rosarum ferre nequeunt, qui Menthā lignumque Sassafras odio habent, & similia. Idem observare licet in foeminis hystericis, quarum plerisque foetida medicamenta, ut Castoreum & Asa foetida, valde sunt accepta, nonnullis autem ingrata & adeo adversa, ut a solo illorum odore, naribus susceperit, animo linquantur; quod eadem ratione de suaveolentibus valet. Si quis igitur eiusmodi medicamenta sive per se, sive aliis admixta, aegrotis sibi demandatis pertinaciter obtrudere auderet, gravissime sane peccaret; siquidem eos, quibus naufream creant, non modo nihil iuvant, verum etiam, quod pessimum est, magis adhuc

huc laedunt, morbum vel augendo, vel nova, & prioribus saepe longe peiora, accerendo symptoma.

§. XIX.

Praeter haec quoque remediorum expedit mutationem suscipere, si forte aegroti natura, per diuturnum medicamenti usum, ita tandem eidem adsuescit, ut desideratum inde effectum amplius non sentiat. Evidet hoc, dum medicamenta determinatis agunt viribus, primo intuitu dubium videri posset. At vero omnis cestabit dubitatio, si modo attenti perpendimis, homines facile rebus quoque nocivis, ipsique veneno sensim adsuefieri. Turcae enim *Opium*, cuius haud adeo insignis alioquin dosis somnum perpetuum conciliat, successivo sensimque aucto usu ita tandem perferre possunt, ut illud in magna dosi, sine ullo detramento, adsu mere queant; & simile quid Illustris Dn. Professor IVNCKERS, Patronus & Praeceptor meus ad cineres usque devenerandus, in foemina observavit hysterica, quae ab eodem hoc narcotico, per sat longum tempus, ad avertendos mitigandosque mali sui paroxysmos adsumto, nullum amplius effectum percepit, nisi dosin eius singulis insultibus augeret; quam etiam ita tandem adauxit, ut pro quotidiano usu drachmam unam, & interdum, ob paroxysmi vehementiam, unciam dimidiad sumeret, sine ulla somni irruentis sensatione. Confer eiusdem Dissertatio, sistens *casum cuiusdam matro-*

nae, largissimo Opii usu per plures annos tractatae. Arsenico quoque homines, longiori & per gradus instituto usu, adsuescere, fidem faciunt Circumforanei, qui, ad probandam alexipharmacam Theriae suae virtutem, saepe arsenici portionem antea devorant; & licet hanc post largiorem pinguium ingurgitationem, vomitu plerumque reiiciant, successu tamen temporis tantum acquirunt habitum, ut in posterum parum inde incommodi sentiant. Emetica denique antimonia, quae proxime ad venenorum accedunt indolem, & nominatim quidem tartarum emeticum, similiter per consuetudinem in enormi posse copia adsumi, testis est celeberr. Dn. D. DANIEL, qui in libro: *Beyträge zur medicinischen Gelehrsamkeit*, inscripto, Tomo I. Tract. VIII. singulariter inseruit observationem de viro, qui tartarum emeticum ad drachmam dimidiam & ultra, successu temporis, sine noxa ferre potuit. Quae vero cum ita sint, nihil sane dubii est, quin etiam medicamentis, & in primis quidem blandis ac temperate agentibus, longe adhuc magis ita possimus adsuescere, ut ipsorum effectu in posterum plane destituamur; in quo etiam experientiam habemus suffragantem. Sic enim non raro utriusque sexus hominibus, maximeque hypochondriacis & hysterics, ad alvi segnitiem emendandam, laxans remedium debet commendari, quod tamen, aliquoties in usum vocatum, suam stimulandi efficaciam quasi amittit, ut alvus, officii immemor, alio deinceps laxante eiusdem admonenda sit. Idem hoc pari

pari ratione de diureticis, anodynis, stomachicis & aliis, per tempus aliquod usurpati, valet. Quodsi vero effectus a medicamento expectandus non amplius obtinetur, quis non videt, rationi & experientiae omnino consentaneum esse, ut tum temporis aliud eidem substituantur, nisi spe bonae curationis excidere velimus.

§. XX.

Neque minus prudenter instituta medicamentorum variatio in hoc casu locum invenit, quando, propter tutiorem curandi rationem, a lenioribus remediis ad validiora descendendum est. Exemplo sit curatio morborum, qui, a latente venereo miasmate, vel ab obstructis hinc inde glandulis oriundi, magna sanguinis & humorum dyscrasia nituntur. In his enim plerumque initium curationis fieri solet remediis blande resolventibus, appropriatisque lignorum decoctis; tum coniungitur prudens aethiopis mineralis, vel antimonialis usus, & his demum non sufficientibus, ad mercurium dulcem pergitur, qui, vel resolvendi scopo, in dosi refracta, vel ad salivationem excitandam, in largiori porrigitur. Haec autem dum ita peraguntur, variae quidem remediorum sunt mutationes, quae tamen secundum artis regulas institutionae, plus debent suaderi, quam reprobari.

§. XXI.

Similiter ea remediorum mutatio salutaris

D 3

pari-

pariter ac licita est, quae a morbo indicatur, cuius generis esse solet, quam in febribus acutis & exanthematicis subinde adhibemus. Tum enim primo medicamenta in his morbis alias solemnia, ut temperantia, diapnoica, prisanae, &c. ordinantur; si vero instans crisis auxilium postulat, ea rursus, loco priorum, praescribuntur, quae eidem iuvandae inserviunt, & prout viae, ex quibus natura materiae morbifcae molitur excretionem, id requirere videntur.

§. XXII.

Atque eadem remediorum mutatio necessaria est, ubi nova, eaque urgentia, & novam medelam postulantia, occurrunt symptomata. Sic enim non raro accidit, ut alvi vel obstruetio, vel nimis cerebra deiectio, morbo cuidam, ad cuius decursum alias non pertinet, praeter spem omnem iungatur, ideoque omnino speciali medicamentorum praescriptione indiget, nisi concedere velimus, ut morbus inde plane turbatus in peius ruat, graviusque minetur periculum.

§. XXIII.

Idem de iis morbis ferendum est iudicium, quibus aliis, & novus quasi, complicatur morbus. Hic enim, priori saepe gravior, tantam exercet tyrannidem, ut apta medicina seorsim debeat compesci. Finge namque tibi hypochondriacum, qui durante curatione paroxysmo corripitur podagrī;

co;

co; nonne ipsi, priori malo ad tempus relicto, iis succurrendum erit remediis, quae podagrae levanda speciatim dicata sunt, & ab iis, quae malo sic dicto hypochondriaco opponi solent, toto saepe coelo differunt?

§. XXIV.

Imo etiam nonnullae curationes diversis medicamentis, certo ordine sibi invicem subiungendis & inter se mutuo alternandis, absolvuntur, adeoque sine prudenti medicamentorum mutatione concipi nequeunt. Talis e. g. esse solet curatio, quae cum martialibus instituitur. In hac enim rite adornanda, primo per epicrasin laxantia exhibentur, dein martialia ipsa, coniuncto potum diluentium usu, offertuntur, hisque per aliquod tempus adhibitis, laxans rursum interponitur, tum vero pristina remedia per conveniens temporis spatium continuantur, iisdemque nonnunquam, si forte adstringitio paulo maior metuenda est, solventia medicamenta subiunguntur, & repetito tandem laxante, toti curationi finis imponitur. Haec autem qui secum perpendit, varias quidem medicamentorum deprehendit mutationes, quae tamen, ad curationem cum martialibus rite peragendam, necessario pertinent, sicut perinde etiam in aquarum mineralium usu, aliisque morborum curationibus, abunde fatis licet conspicere.

§. XXV.

Denique prudentem medicamentorum mutationem suscipere expedit, si forsitan aegrotantes medica-

camenti per aliquod tempus adhibiti, neque statim opem desideratam ferentis, effectui diffidunt. Tum enim, ad excitandam aegroti fiduciam, omnino conductit, vel aliud eiusdem virtutis substituere, vel idem ipsum, colore saltem diversum, aut in aliam redactum formam, offerre. Atque haec mutatio co minus est reprobanda, quia Medicus revera tum medicamenta unius speciei, & ex eadem classe sumta, eidemque caufae rite opposita, praescribit.

§. XXVI.

Sic igitur, quando medicamentorum mutatio licita vel illicita, salutaris vel noxia sit, breviter strictimque exposui. Equidem non nego, superesse aliquot casus, quos seorsim potuisse indicare & magis adhuc determinare; at vero cum ita sint comparati, ut ex dictis faciliter possint negotio colligi atque derivari, nolui tam prolixus esse, sed hic dicendi facio

F I N E M.



VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.

IOANN. GOTTL. SCHNEIDER,

OPPONENS.

Eorum multitudinem, qui sub tutelis academicis litteris operam navare solent, si perlungamus, longe hos superare eorum numeram, qui ea industria, qua par est, finem sibi praefixum obtinent, satis notum est. At quid arguant plurimi? certe! accusant fortunam. Verum enim vero sufficere nobis, quando actiones nostras ita dirigimus, ut sint bona media, quae ad finem nobis propositum semper spectent, recte praecipiunt morum magistri. Nunc autem non parum gaudii mihi excitatur, cum Te, Contubernalem suavissimum, eiusdem Patriae atque Civitatis michi amicissimum, in cathedralm adscendere ac lauream Tibi imponi videam. Rarecere propemodum solent themata pro opellis inauguralibus, nihil tamen minus maxima laudi tribendum esse arbitror, quod Tu illud Tibi elegeris, quod plerisque & gratum aequem ac utile procul dubio videbitur. Praeterea quoque iam olim Vir Illustris b. m. HOFFMANNVS id cuique Medico pratico probe observandum, in regulis

E

lis

lis politicis medicis, tradidit, maxime eam ob rationem, quod per experientiam abunde constet, talentum clinicum ex imprudenti ista variatione remediorum malam famam sibi conciliare posse. Triennium fere effluxit, PRAENOBI LISSIME DOMINE CANDIDATE, cum mibi TECUM amicitiam contrahere contigerit, ipsoque hoc tempore ex TVA conversatione, mibi gratissima, satis abunde TE cognovi, ut de TVA constantia vere testari, nec minus praesagire possim, TE nunquam imprudentem quandam in medendo commisurum esse variationem. Spero neminem fore, CANDIDATE CLARISSIME, qui iudicet, TE omnem in genere mutationem remediorum in praxi clinica tanquam noxiā declarasse. Longe aliud enim patet ex ipsa TVA elegantissima Dissertatione, in qua fusius simul indicasti, sub quibusnam conditionibus illam potissimum fugiendam esse putas. Ceterum, AMICE AESTVMATISSIME, abs TE quam maxime peto, ut pauca haec in bonam partem accipias, quae laeto prorsus animo hic subiungere volui. Gratulor TIBI de doctoralibus honoribus nunc capessendis, optoque ex animo, ut omnes conatus TIBI prospere ac feliciter eveniant, ac ut eodem amore, sicuti hactenus, ita & in posterum me prosequaris, enixe a TE contendeo. Vale. Halae Magdeburg. d.
XXIV. Ianuar. MDCCLII.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
LAVREAE DOCTORALIS

C A N D I D A T O ,

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

GOTTHARD WILHELM REICHART,

RIGA - LIVONVS,

SALVTARIS DOCTRINAE CVLTOR,

OPPONENTS.

Quum in scientia ista perdiscenda divina, cui a primis quasi incunabulis nomen dedisti, non medios requirantur animi dotes ac diligentiae, quid mirum, si indefessis cultoribus suis honores promeritos quoque serena distribuat fronte? TE semper fuisse aseclam salutaris artis fidelissimum, nullus dubitat. En! igitur, AMICE DILECTISSIME, labores ad finem perducetos & publice coronatos. Exubescerem utique, aut mihi peccatum hocce nunquam condonarem, si, ex tot applaudentium coetu, ultimus hodie esse deberem, cum amicorum numero selectiorum & me adscripsisti. Gratulor igitur TIBI, AMICE DILECTIS-

LECTISSIME, honores TIBI a Gratioſo Medicorum
Ordine decretos doctorales, iusta diligentiae praemia.
Fruere illis in parentum venerandorum laetitiam, in-
que aegrotantium ſolamen, ſospeſ atque incolumis.
Me vero ut TVAE amicitiae & memoriae optime
commendatum habeas, ultimum atque primarium
eft, quod ex TE, pectore, amicitia TVA haud indi-
gno, peto. Ex mea autem parte, me in noſtræ fer-
vandis amicitiae legibus inviolabilibus nulli secun-
dum fore, perſuafum habeas, velim. Vale. Da-
bam Halae d. XXV. Ianuarii


MDCCLII.



01 A 6597



B.I.G.



23
22

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**PRVDENTI
MEDICAMENTORVM
MVTATIONE**

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLTATIS PHILOSOPH. H. R. DECANO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
D. XXIX. IANVAR. A.S.R. CLOCCCLII.
IN REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
TRAVGOTT DREYSIG
HALENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.